

## LECTIO VICESIMA ALTERA

### PLINIUS MINOR AZ ISKOLÁKRÓL

C. Plinius Tacito Suo S. Salvum te in urbem venisse gaudeo; venisti autem, si quando alias, nunc maxime mihi desideratus. ... Interim ... quod sum praesens petiturus hac quasi praecursoria epistula rogo. Sed prius accipe causas rogandi, deinde ipsum, quod peto. Proxime cum in patria mea fui, venit ad salutandum municipis mei filius praetextatus. Huic ego "studes?" inquam. Respondit "etiam." "Ubi?" "Mediolani." "Cur non hic?" Et pater eius (erat enim una atque etiam ipse adduxerat puerum) "quia nullos hic praeceptores habemus." "Quare nullos? nam vehementer intererat vestra, qui patres estis," et opportune conplures patres audiebant, "liberos vestros hic potissimum discere. Ubi enim aut iucundius morarentur quam in patria aut pudicius continerentur quam sub oculis parentum aut minore sumptu quam domi? ... Atque adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro re publica nostra, quasi pro filia vel parente, tertiam partem eius quod conferre vobis placebit dare. ... Haec putavi altius et quasi a fonte repetenda, quo magis scires quam gratum mihi foret, si susciperes quod iniungo. Iniungo autem et pro rei magnitudine rogo ut ex copia studiosorum, quae ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumspicias praeceptores quos sollicitare possimus. ... Proinde si quis fuerit repertus qui ingenio suo fidat, eat illuc ea lege ut hinc nihil aliud certum quam fiduciam suam ferat. Vale.